

PROGRAMM

DES

GYMNASIUM ERNESTINUM ZU GOTHA

als Einladung zur Theilnahme

an den

am 26., 27. u. 28. März zu veranstaltenden Prüfungen

sämmtlicher Classen.

Inhalt.

Gotha, 1860.

Druck und Papier der Engelhard-Reyher'schen Hofbuchdruckerei.

In Augustinianorum coenobio Gothano, cum anno MDXXIV *Myconii* viri illius eximia doctrina et pietate praediti studio et *Monneri* primi rectoris opera schola in eo institueretur, fuit sine dubio literariae supellectilis quae longo tempore collecta erat non exiguus apparatus. Floruerat enim a medio saeculo decimo ille fratrum religiosorum conventus pietatis non modo, sed etiam eruditionis laude habueratque inter se, ut hunc unum nominemus, insignem illum *Henricum de Frimaria* (v. *Tentzelii* supplementum hist. Goth. III. p. 49—57), quem ingenii doctrinaeque fama non in ultimis Thuringiae finibus delitescere passa est, sed causa fuit, ut inter Parisiensis scholae professores cooptaretur. Studiis moribusque suis id effecerant Augustiniani Gothani, ut non modo a summo Moguntino praesule, sed etiam ab aliis Germaniae episcopis sibi facultas *indulgentias dispensandi* tribueretur et multorum vicinorum externorumque frequens ad sua claustra fieret concursus. Codices melioris notae Venetiis arcessitos et in nostram urbem et vicina coenobia, plurimos in Georgiothalense, illatos esse cognosci potest ex *Mutiani* epistolis (v. *Tentzelii* suppl. hist. Goth. I. p. 43. ep. XLVII. cf. *Vockerodti* progr. Gotha literata ante conditam scholam illustrem p. 3). Est igitur credibile Augustinianorum coenobium Gothanum libris et typis et manu descriptis abundasse, et si, quod annales testantur, monachorum paulum ad otia declinantium et genio indulgentium manus et ingenia minus exercerent, eorum scrinia saltem his occupata fuisse; quicquid vero in aede cathedrali superfuerit codicum veterum cum sacra supellectili, quam cum illa arcis muniendae causa destruenda esset Augustinianorum coenobio illatam *Myconius* in chronico scribit (p. 126 ed. Cypriani, Lips. 1718), hic servatum fuisse in dubitationem vocari non potest. Relictam enim a monachis hujus coenobii bibliothecam ejusque catalogum parieti affixum fuisse diserte testatur *Andr. Wilckius* in Suada Gothana p. 1052. Hujus autem supellectilis reliquias aeque ac vicinorum coenobiorum Georgiothalensis et Reinhardtbronnensis summa cura ex typographiis recens constitutis collectos codices*) frustra nunc requiri res est admiratione digna.

Nec temporis injuria nec negligentia hominum ad quos Gothanae saltem rei literariae cura pertinebat jure accusari potest. Nulla publica clades vetustos illos codices in Augustinianorum Gothanorum adytis extinxit. Nec belli vis unquam interiora hujus urbis diruit, nec flamma per reliqua compita Gothana subinde saeviens urbis angulum ubi aedes Augustiniana et schola est vastavit. A Monnero ad Wilckium non fuit scholae rector provinciae suae ornandae tam securus, ut praesidia ad tale munus recte obeundum praecipue necessaria abjiceret et negligeret vel sciens et volens aliis diripienda relinqueret. Schipperus, Merula, Sussenbachius, Lindemannus, Schmidius, Meierus, Dinckelius, Helderus, si annalibus fides est, omnes ad hoc munus providentissime delecti bibliothecae augendae magis quam

*) *Vockerodt* Goth. lit. p. 4. „Sumtus ad redimenda praesidia literarii commercii et politioris eruditionis quae tunc in Italia maxime effloruerat hinc petenda instrumenta suppeditabat liberaliter divitis coenobii oeconomus *Urbanus*. Operam adhibebat alumnis instituendis *Spalatinus*." — cf. *B. Stark* in Zeitschrift für thüring. Geschichte. I. p. 332. „Nahe dem Kloster lag ein Kupferhammer (aeraria fodina) der *Fugger*, durch welche Bücher und Geld bequem vermittelt wurden."



distrahendae studiosi ipsi fuerunt nec per alios intercipi et sibi subduci discendi docendique opportuna instrumenta passi sunt. Quid factum sit conjicere tantum licet ex *Wilckii* illorum successoris verbis: „Rapti codices adeo sunt, ut vix unum et alterum fecerint reliquum sacrilegi" *). Abjecti videntur codices vetusti in tabernas institorum, ut essent thuris piperisque cuculli vel si qui in membrana descripti fuerunt traditi in librarias officinas ad vestiendos codices novos.

Utcunque res se habuit, unus tantum codex chartaceus ex illorum librorum copia in bibliotheca gymnasii relictus servatur, quem, cum non pauca medii aevi carmina latina addita versione germanica contineat, nos operae pretium facturos putavimus, si accuratius describeremus, ut quibus hae literae essent curae scire possent quae studiorum adjumenta illius usus praeberet. Nam carmina medii aevi latina quae a plerisque despicatui habentur non indigna esse accuratiore et pleniore cognitione et olim fuerunt qui probe intelligerent (v. *Pol. Leyserus* in praefatione hist. poet. med. aevi, Hal. 1721. cf. *Bernhardy* römische Literaturgeschichte 1857. p. 341. n. 261) et nostris temporibus acriore jam studio diu neglecta illorum temporum opera in dies plura in lucem ferri coepta sunt, qua in re praeclarissimum Germaniae decus Jacobus Grimm ducem se praestitit. Ad accuratius vero Germanorum gnomicae poeseos studium, cujus longe praestantissimum exemplum Vridancum Guilelmus Grimm immatura morte literis ereptus egregia cura illustravit, carminum latinorum medii aevi gnomicorum quae adhuc fere neglecta jacent collectione nova opus est, cum, ut ex Vridanco apparet, plurimae sententiae ex latinis hujus generis carminibus, utpote aetate prioribus, in germanica translatae sint**), ad quae quidem carmina Facetus, Floretus, Alanus in proverbiis, Phagifacetus, Sulpicius Verulanus de ingenuis moribus in mensa servandis et alia quae in codice nostro continentur referri debent.

Non deerunt quidem qui curam his carminibus impensam futilem atque indecoram existiment, tralaticia graecae romanaeque antiquitatis admiratione ita quasi occaecati, ut in plurimorum latinorum poetarum mediocritate facile acquiescant vel adeo mirifice delectentur, quaecunque autem medio aevo latinis versibus scripta sunt vehementer omnia fastidiant.

Si orationis puritate versuumque concinna elegantia poematum virtus censenda est, nemo quidem erit tam absurdus, ut infitiari conetur aut nulla aut paucissima carmina medii aevi esse, quae ex hac parte cum veterum poesi comparanda sint.

Sed ingenuum romanae orationis colorem et perfectam versuum ad antiquorum poematum exemplar condendorum artem qui possis exspectare ab ea aetate, qua omnium divinarum humanarumque rerum prorsus immutata ratione lingua etiam latina a nativa indole paulatim ita deflexit, ut prognata magis ex prisco sermone videri debeat, quam ad ejus normam severe exigi? (v. *M. Haupt* exempla poesis latinae medii aevi p. 5. cf. etiam *J. Grimm* lat. Gedichte des X. u. XI. Jahrh. p. V et p. XXIII.)

Codex miscellaneus, quem describendum nobis sumsimus***), est forma quartanaria chartaceus, literis

---

*) Suada Gothana p. 1052.

**) *Zarncke* der deutsche Cato p. 1. „Das Gesammtgebiet dieser Gattung ist noch keineswegs übersehen und einer einigermassen gleichmässigen Bearbeitung unterworfen worden, und doch darf behauptet werden, dass gerade dieses Feld unserer Literatur einer solchen am meisten bedarf, und dass kaum auf einem andren Gebiete das Einzelne so sehr seine Beleuchtung vom Ganzen aus empfängt, wie hier. Eine ganz besondre Berücksichtigung verdienen in dieser Hinsicht die lateinischen Spruchgedichte, die man bisher fast gar nicht beachtet hat, der Cato, Facetus, Moretus, Floretus, die verschiednen regimina, der salutaris poeta, Alanus in proverbiis u. s. w."

***) Ante nos nemo, quod sciam, nisi mihi amicissimus *Fr. Dubnerus* codicis nostri mentionem fecit, cujus opera in *Jahnii* annalibus Vol. III. 1828. p. 310 nonnullae lectiones ex Ovidii cuculo et Virgilii Moreto et versus quidam ex No. X in lucem prolati sunt.



scriptus invenustis nec ad legendum valde expeditis. Glossas tum versibus interpositas, tum margini adpositas, quae partim verborum interpretationes continent, partim argumenta explicant, eadem manus quae textum exaravit. Non facilem habent lectionem propter literas minutissimas et atramentum valde pallidum. Initiales majusculae et rubra lineola perpendiculari trajectae sunt. Omnia hujus voluminis opera videntur una eademque manu eodemque tenore exarata esse, quod inde intelligitur, quod eadem pagina et finem praecedentis et initium sequentis libri habet. Codicem exeunte saeculo quinto decimo scriptum esse diserte et plane declarant verba fol. 84, 133 et 251 et signum capitis taurini cum serpente cruci circumvoluto, quod chartae ipsi impressum invenitur*).

I. BOETHII liber de scholarium disciplina cum glossis interlinearibus. fol. 1—35.

Constat hunc librum describentem mores depravatos juvenum, qui scholam Parisiensem medio saeculo XIII frequentabant, a Thoma Brabantino sive Cantipratano conscriptum esse. v. *Thomasii* progr. Lips. 1662. *Fabricii* bibl. lat. med. et infim. T. I. p. 650 (ed. Mansi) et III. p. 217. *Freytag* apparat. lit. I. p. 253. *Savigny* hist. juris T. III. p. 315. *Grässe* Lehrbuch der Literärgeschichte II. 3. p. 927.

Nuper *Th. Obbarius* in editione Boethii de consolatione philos. p. XIX hominem doctum quendam exitu saeculi XII., fortasse decennio post scholam Parisiis constitutam, hunc librum composuisse affirmare conatus est. Codices qui inveniuntur saeculo XV. exarati videntur omnes, v. *Haenel* catal. libr. MSS. p. 254. 462. 527. Saepe editus est hic liber cum commentariis. v. *Hain* No. 3411—3425. *Schweiger* Handbuch II. p. 29 sq.

II. BASILII MAGNI liber ad juvenes, quantum ex gentilium libris et literis proficiant, cum praefatione Leonardi Aretini ad Colucium. fol. 36—48.

Editiones recensent *Hain* No. 2683—2690. *Hoffmann* bibliogr. Lexicon I. p. 413. cf. *Freytag* app. lit. T. II. p. 843.

III. Philippi BEROALDI Bononiensis carmen de fortuna ad magnificum Minum Roscium senatorem Bononiensem. fol. 49—52.

Vid. de Philippo Beroaldo *Graesse* II. 3. p. 756. Typis exaratum invenitur hoc carmen in variis Beroaldi opusculis. Basil. 1517. fol. LXX—LXXIII.

IV. Dialogus SAMUEL HAROCH ex monte rutilo inter virum, adolescentem et virginem. fol. 53—57. In fine legitur: Explicit dictamen Samuelis ex lichtenburck australi. Sequuntur glossae germanicae.

Cf. *Grässe* II. 2. p. 744, qui magistrum Samuelem de monte rutilo ob synonyma partium indeclinabilium sine l. et a. (v. *Hain* T. II. P. I. p. 467) citat. *Henricus Bebelius* in comment. de epistolis conficiendis (Argentin. 1503) sub fine praefationis haec habet: Vagatur hinc per Germaniam quidam Samuel ineptiarum plenus, multos barbarismos seminans, nihil docens praeter incultos rhythmos quos dicimus facere et reliquas latinae linguae calamitates, a quibus caveas tanquam ab aspidum venenis. cf. etiam *Zarncke* Beitrag zur Geschichte der deutschen Universitäten I. p. 84 et p. 239.

V. Carmen elegiacum POETAE VERONENSIS de Alda virgine erepta a juvene peregrino. fol. 57. 58.

---

*) cf. G. Fischer, Versuch, die Papierzeichen als Kennzeichen der Alterthumskunde anzuwenden. Nürnb. 1803.

Incipit: Hac quicunque via tendis, studiose viator,
Disce graves casus et miserere meos.

Est carmen non inelegans neque invenustum *Guarini* poetae Veronensis, de quo v. *Grässe* II. 3. p. 689, saepius saeculo XV. cum aliis excusum, Lips. 1511 et Basil. 1517 separatim editum. cf. *Endlicher* Catalogus MSS. lat. p. 120 et 146. — *J. Geel* in catal. libr. MSS. bibl. Lugd. Bat. p. 133 recenset in No. 442 codicum elegiam Aldam, sed non indicat autorem et falso putat eam nondum editam esse. In *Histoire literaire de la France* T. XXII. p. 53 argumentum hujus carminis (Aude Belle) copiosius exponitur.

VI. MAGISTRI RHENERI Fagifacetus sive Thesmophagia cum glossis et versione *germanica*. fol. 59—84. Sub fine: Sortiuntur mensarum facetiae finem anno MCCCCXCIIII 17 Calend. Septembres.

Hoc carmen typis quidem jam expressum est sine l. et a., v. *Hain* No. 6899 (cujus editionis Jacobus et Eichstadius mentionem non fecerunt), et per *Seb. Brantium* 1490 Basileae in teutonicum translatum, sed utraque editio tam rara est, ut eas neque *F. Jacobio*, qui ex codice Lubecensi hoc carmen (Lub. 1838) recudendum curavit, neque *Eichstadio*, qui Jacobii editionem in progr. Jenensi 1839 cum nonnullis notis criticis repetivit, neque nobis inspicere licuerit. Cum vero hoc carmen e codice Lubecensi non sine lacunis atque scribendi vitiis ad illos editores pervenisset idemque in alio codice Lipsiensi servatum narraretur, ambo viri docti Lipsiensis libri notitiam sibi impertiri voluerunt, sed responsum tulerunt olim fuisse illum in bibliotheca Paulina academica (v. *Felleri* catal. cod. MSS. bibl. Paulin. p. 389. n. 330), sed inde ab anno 1817 desiderari. Ut igitur hi, quibus codicum antiquorum descriptio res jejuna et parum jucunda videatur, animi recreandi copiam habeant, placuit nobis hic subjungere Reineri Phagifacetum, quem codicis nostri ope confidimus aliquanto emendatiorem et ad legendum planiorem nos exhibituros.

Elucet in hoc carmine familiaritas quaedam cum poetis Romanis contracta nec deterrere quemquam a legendo debent vitia metrica non raro commissa, in quibus, quod recte observavit *Jacobus* p. 10, versuum leoninorum faeces reperiuntur, hoc est, breves syllabae in caesura productae; ipsa enim oratio, quanquam neque in verbis eligendis neque in fingendis periodis antiqua, rotunda tamen est atque illius aevi haud spernendum exemplar. Cognoscere ex eo licet et rerum judicia, qualia tum fuerunt, et morum praecepta; denique apparet ubivis jucunda quaedam simplicitas. Quare jam Eichstadius dignum illud censuit, quod cum aliis hujus generis monumentis compararetur a doctis, nec juvenibus nostris displiciturum esse speravit.

Quis ille Rainerus sive Reinerus Alemannicus fuerit et quando vixerit, num ab eo *Facetus* quoque *morum*, qui saepius ejus nomini adscribitur (cf. *Fabr.* bibl. med. et inf. V. p. 45. *Grässe* II. p. 706 et editiones apud *Hain* No. 6883—6895), compositus sit, non facile ex antiquitate erui potest. Eichstadio quidem verisimile videtur (p. 2 progr.) Reinerum illum a. 1155 natum esse, adscriptum ordini Benedictinorum in coenobio S. Laurentii Leodensi, peregrinationibus Romam quater factis non magis quam scriptis (v. *Bern. Pezii* Thes. anecd. nov. T. IV. p. III. P. 111) satis clarum. Sed ex versuum leoninorum jam rariore usu et ad eum finem reposito, si quando vel sententia graviter enuntianda, vel eximius orationi ornatus quaerendus esset, concludere licet hunc poetam posteriori aetati adnumerandum*) esse.

*) *Ebert* zur Handschriftenkunde I. p. 158. „der Glosse verdanken wir die nähere Nachricht, dass der Verfasser dieses kleinen interessanten Gedichts Protonotarius eines Landgrafs von Thüringen war."



Incipit *Fagifacetus* magistri *Rheneri* sive *Thesmophagia*.

Noscere qui mensis decori sint, lector, honores
Si cupis aut mores, dogmata nostra legas.
Graecia legiferae Cereri sua thesmophoria
Indidit: at per nos thesmophagia patet*).

Res rerum natura parens ita concipit omnes
Et parit, ut natae potuque ciboque dietim
Indigeant, vescique velint aut vivere nolint.
Non tamen aequali mater sua pignora more
Esse docet, nec adest cunctis vescentibus idem
Ritus vescendi. Quis nescit? Quippe quibusdam
Vivitur ex rapto, puta pardis, tigribus, ursis.
Scilicet his inter edendum saevior ira,
Mens truculentior et rabies intensior ardet.
Eaedem non reputant simul hostes vincere binos
Fas sibi, sed postquam prior adversarius esu
Esuries cecidit, tunc demum dira domatur,
Cujus congestis fornax incanduit escis,
Incentiva sitis; gelidas properatur ad undas
Torrentemque sitim torrentis temperat algor.

Sanctius his animal homo, rerum flosculus, heres
Caeli, forma dei, cui caelum cernere facto
Os sublime dedit placidissimus ille creator,
Non ita degenerat, nec eum recreantia tali
Oblitus decoris invadit edulia morsu;
Illo praecipue non bestia, quod sua vultu
Fercula pacifico, parsurus paene, locumque
Facturus veniae scit delibare soletque
Inter convivas hilaris, convivia laetus,
Mensas urbanus, comedenda bibenda facetus.
Nec credendum est, quod nunc orta facetia mensae
Pullulet aut paucos aetatis computet annos;
Quin potius jam canet anus, tantique timoris
Extitit antiquis, ut juramenta per ipsam
Et facerent veteres et facta revellere nollent.

---

*) Abest hoc prooemium a codice Lubecensi.

Exemplum versionis germanicae primos decem versus apponamus:

Dy natur eyn muoter aller ding
Schafft vnde gebirt vff sulche geding
Dy gescheffniss dass sy an alle wangk
Sich müssen gebrauchen speyss vnd tranck.

Doch leret mit unglaicher weyss
Dye natur yre kind essen speyss
Es nert auss raupp sich manigh thier
Als pardel beren tigerthier.

Zu grosser zorn zuo essen brengt
Widergünnycheyt alss yn dass zympt
In keyner vornunfft sy leben
Sunder yn grawsamkeyt sy streben.

V. 2. Lub. *diatim.* — V. 12. *Jacob* recte conjecit *domatur.* Lub. *domantes,* Goth. *domatur.* — V. 14. Eichstadius scribendum putat *incendiva,* sed *incentiva* i. e. *instigans* est vox apud poetas Christianos saepe obvia. v. *Prudent.* Hamart. v. 250. lues incentiva. — V. 15. Acrosticho primi XV versus nomen autoris exhibent: *Reinerus me fecit.* — V. 30. *Et facerent.* Goth. *firmarent.*

Denique sepositus genitricis ab ubere natus
Non prius ad patriae recipi consortia mensae
Dignus erat, quam mensales didicisset honores
Et nosset, positis quis mos servandus in escis.
Sed non haec homines invisit gratia cunctos,
Ut mensae vixisse sciant, quia vivere mensa
Pluribus accedit, sed mensae vivere paucis.
Quapropter multi, quando subiere penates,
Quos penes enituit urbanior usus edendi,
Cum monstrare nihil mensae laudabile scirent,
Pocula dedecoris calicemque bibere pudoris,
A ritu dicti modicum differre ferino.
Si quis ergo volet scius aut urbanus haberi,
Nec quasi chorda lyrae sic discordare: memento,
Quid vetet ac fugiat, quid postulet atque requirat
Mensa, nec ut stolidae ruditatis ducere ductu.

Cum venit ergo Thetis manibus fundenda lavandis,
Mensarum qui primus honor, quicunque laboras
Ut domino placeas, cujus conviva vocaris,
Non te praetereat, pelvi quae suscipit undas
De manibus domini celeres immittere palmas
Pollicibus junctis, sed, si mage cesserit illud,
Praetento gremium mantili per te tuere
Et velato sinum, ne stillae crebro cadentis
Offendat maculis dominas injuria lanas
Foedaque consignet mundis vestigia pannis.
Hinc et tu mundato manus, sed tutius ante
Laveris et studio vigili perspexeris ungues,
Expulsis, si quae pateant ibi sordibus, ut tunc
Non sit opus longo multumque morante lavacro.
Interea jam sedit herus mensamque latere
Nix extensa super denigrans lilia jussit.
Hic trinis facienda tibi distinctio; nam vel
Convesceris hero, sibi conscutellio factus,
Vel quemcunque parem tibi nanciscere sodalem,
Vel si persuadent locus et res, tempus et ordo,
Nympha tibi jungenda subit: non omnibus idem
Servandus tenor est: domino reverentia tanquam
Majori danda est, socio dilectio tanquam
Aequali, nymphae jocus atque facetia tanquam
Intuitu vigili nos nostraque facta probanti.
Hic gravis et stabilis, illic mediocris, at illic
Melleus alloquiis et comptus gestibus esto,
Hic Cato, Pirithous illic, ibi Naso vocandus,
Mutandusque tibi juxta quod quisque requirit.

Ecce Ceres, vitae robur, jocunda ciborum
Cunctorum conjunx, sine qua cibus et sapor omnis
Degenerat, patulis coram portata canistris

V. 31. hiant sententiae; Eichstadio aliquid excidisse videtur. *genitricis.* Lub. *altricis.* — V. 35. *non.* Lub. *nec.* — V. 39. Goth. *emicuit.* — V. 40. *mensae.* Lub. *in se.* — V. 43. Goth. *volens.* — V. 46. *ducere* sc. memento. A sorbendo (ducere pocula) traductum esse voc. ad omnem ciborum haustum, ut verbo ludi posset *ducere ductu* interpretatur Jacobus. Sed rectius *ducere* accipitur pro imper. passiv. — V. 52. Goth. *vel si mage sederit herus.* — V. 53. Lub. *praetenta — mantilis parte tueri.* — V. 54. Lub. *velare — crebra.* — V. 57. Lub. *mandare — tentius.* — V. 59. Lub. *si quae parebunt.* — V. 63. *trinis.* Lub. *certe.* — V. 64. *conscutellio. Diefenbach* gloss. comedens cum uno de una scutella. — V. 67. Goth. *Nympharum jungenda manus.* — V. 78. Lub. *paribus.*



Prima venit, grata visu, mage grata sapore;
Dicta quidem panis a pan quod denotat omne,
Omnia namque praeit invitatoria gustu;
Et nihil est, quod eam positis praecedere mensis
Debeat aut ipsa prius in commune locari.
Maxima nunc inimica famis, quo munere reges,
Quo populi vivunt et habent commercia mensae.
Haec tibi, si juxta praecepta sedes Cato, ferro
Invadenda tuo dominoque secanda; sedenti
Non tantum domino, cujus consessor es, immo
Nimirum domino, qui cuncta dat et sibi reddi
De donis vult dona suis. Hac parte ciborum
Placato pulchre tractari fercula possunt.

Post Cererem quaecunque volunt allata secari,
Officium praestabis idem: tunc cedere ruga
Et properare fugam contracti cogitur oris.
Majori junctus quanto propioris habebis
Majestatis onus, tanto tibi plura cavenda
Esse scias; illud Senecae tamen usque memento:
Qui nescit reticere loqui non novit. Habere
Debet lingua modum, ne facta profusio vocis
Delirae valeat dici ructatio mentis
Et fastiditum moveat cornicula risum.
Sed neque mutus eris, coetus imitando silentum
Pythagoraeque scholas; immo ne nulla loquendo
Suspectus nimiumque fias despectus, abhorre
Et nihil et nimium. Si quaeris, qualiter, audi:
Nec nimius verbis esto nec nullus, et aequum
Inter utrumque modum sub quodam dirige neutro.
Si vero fuerit magnus summeque verendus
Personatus heri, nisi verbum forte rogando
Proliciat, nunquam tua pandas ostia voci.

Hoc quoque turpe nota: Si, dum vaditque reditque,
Oris serva manus in disci parte morantem
Assequitur dominum, manibus scutella duabus
Intrari pariter, quamvis sit et ampla, recusat.
Sustineas igitur, donec complerit herilis
Dextra viae causam digressa parapside: tunc tu
Mitte tuam revocaque manum, cedatque decori
Exspectasse parum; major condire venustas
Assolet acceptas intervallariter escas.
Nec tibi continuo placeat defigere visu
Fercula, ne nimium videaris avarus in illis.
Quin immo laeti passim spatientur ocelli
Non alias circa contentum vasis ituri,
Quam quando ducenda manus, monstrandaque certo
Semita proposito, cujus ratione sedetur.

V. 81. Lub. *gustus.* — V. 84. *nunc. Jacobus* emend. *namque.* — V. 85. Lub. *populus.* — V. 93. Lub. *obsequium.* — V. 96. Lub. *cavendum.* — V. 98. Lub. *loqui non norit habere.* cf. *Senec.* de moribus ed. Haase p. 467. Qui nescit tacere nescit et loqui. *Ausonii* Pittac. p. 148 ed. Bip. Loqui ignorabit qui tacere nesciet. — V. 102. *coetus.* Lub. *turbas.* — V. 104. Lub. *nimia fias despectus, abhorre.* — V. 105. Lub. *Quid nihil et nimium, si quaeris.* — V. 106. Lub. *nec nimius verbis nec nullus haberis et aequum. Jacobus* corrigit: *ne nimius verbis nullusve habearis et aequus inter utrumque modum.* — V. 114. *sit et.* Lub. *sic.* — V. 117. Lub. *cedetque decori, exspectare parum.* — V. 119. Lub. *interscaliter.* Goth. *interstallariter.* — V. 124. *monstrandaque.* Lub. *ducendaque.*



Sed neque sulcandis manus est praestanda capillis
Aut intromittenda sinu, quam colluit ante
Hac ratione Thetis, ne sordida deroget escis.
Videris et quando mensam sessurus adibis,
Ne quis forte pedum tunica senarius erret,
Prandia qui turpi contristet herilia vultu,
Inque fugam motos verti compellat ocellos.
Vidi, mutandos sera cui servabat amictus.
Hujus erat semper mensarum tempore vestis
Munda, decora, recens; alias communior ipsum
Ambibat pannus; nec causa rei fuit hujus
Ambitio ratiove superbia, sed quia cavit,
Ne qua veniret ei comes invidiosa sedenti
Occultos in veste trahens turpissima gressus.
Si potes antidoto tali succurrere, tali
Antidoto succurre tibi; si non, potes ante
Clam tunicas cognosse tuas, post jungere mensis.
Quid referam, quam turpe genas extendere stloppo,
Pressuram generante cibo penetralibus oris,
Et nescire molae commensurare molenda,
Cum sit idem facere sic, ac extendere pennas
Majores nido nec metam ponere voto.

Sunt, qui Vulcano nondum congesta sopito
Fercula degeneri profundunt turpiter ore
Aeoleosque cient, Satyri miracula, folles,
Indomiti perferre moram, quae fercula parvo
Temperet articulo; sed tu quocunque locorum
Veneris, informem fuge consuetudinis usum.
Idem, si casu positos incuria potus
Attigit, inque scyphos aliquid, quod pocula turbet,
Venerit, ut jaciant ventis utuntur eisdem.
Hoc tu vel calamo vel mundi fragmine panis
Projicis. Os tantum comedat, bibat atque loquatur.
Est satis hoc, licitumque sibi nihil aestimet ultra.

Si, cum danda manu proficiscitur esca palato,
Quid cadat intrandos illudens oris hiatus,
Id tu, si pudor est, ita ludificabis, ut olim
Calvus eques capiti solitus religare capillos,
Admixtisque jocis poteris vel tale vel illud
Dicere, quod venia culpam, si culpa, piabit:
„Quid mirum, si res cecidit, quae non pede fidit,
Quadrupes in plano quandoque cadit pede sano,
Non mirere, bipes, si labitur ergo tibi pes."
Nec sic collapsam, quamvis dilexeris, escam
Restitues disco vel avari dentibus oris
Procedens tribues, ne culpa priore paretur
Posterior fiatque pudor de simplice duplex.
Sed si sanandi vis vulneris esse chirurgus,
Sit quasi non fuerit, jaceatque procul quasi non sit;
Surget et amissos jam non rehabebit honores.

V. 130. *senarius. Diefenbach* gl.: pedicula, quae habet sex pedes. — V. 143. Lub. *stlopo,* Goth. *sculpo.* — V. 148. *congesta sopito.* Lub. *dimissa sequente.* — V. 149. *profundunt.* Lub. *proturbant.* — V. 152. Lub. *temperat.* — V. 154. Lub. *injura. Jacob* conjicit *injuria.* — V. 155. Lub. *turbat.* — V. 157. *tu vel.* Goth. *tu fac.* — V. 160. Lub. *Est quando danda proficiscitur.* — V. 161. *Quid cadat.* Lub. *Et cadit.* — V. 165. *venia.* Lub. *veram.* Versus 166. abest a codice Lub. — V. 175. Lub. *surgat.*

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Cum sic acciderет coenanti cura, levarem,
An non, elapsam pretiosi segmatis offam,
Cum sapor hoc, illud mensae suaderet honestas,
Hoc gula praeciperet, illud reverentia nollet.
Victa tamen ratione fames cessitque pudori
Utilitas, mihi mens, menti gula, turpe decori.
Sorbile si dabitur, gallinae filius, ovum,
Non vesceris eo, quo naves more Charybdis
Imbibit, aut, quando sumas, respondeat echo
Detque gula strepitum querula reboante tumultus.
Sit tua cauta tibi, sit muta comestio: muta,
Ne deforme sonet tracto spiramine; cauta,
Ne distillando damnis sit origo duobus,
Foedando quod migrat iter minuendoque semet.
Haec inter si vel facienda screatio fauces,
Vel tussis pectus, vel sternutatio nares
Occupat, aversus tibi non quasi sponte satisfac,
Nec totas illi, quod sic occurrat agendum,
Permittas vires, nec pleno currere velo
Quod cupiat facias, quia commollitio talis
Excusat, quod erat non evitabile factum,
Et veniale facit, quod sic erat esse necesse.

Cuncta quid enumerem, quibus aut laudandus omissis
Aut factis culpandus eris? Modus ipse sedendi
Enormis peccare potest crimenque jacendi
Incidit ex facili nimium sua commoda quaerens.
Oblatos aliqui, quasi non esset pudor, ausi
Olfactu temptare cibos et nare magistra
Consultare palam turpes meruere vocari.
Persuadetur enim foetoris iniqua molesti
Suspicio, quotiens rimator fercula nasus
Castigat; sed suspicio quaecunque fuisset
Debuerat cessisse prius, nec adusque sedendum,
Ut coram fieret dilata fuisse; probatas
Nare, licet festas, stomachus clam nauseat escas.

Quidam si piperis capiunt in flumine pisces
Aut in salsarum tingunt acrumine carnes,
Plus digitis quam pisce bibunt vel carne liquoris.
Hunc ego, quisquis is est, etiam si rustica quaevis
Det sibi mensa cibum, quae nil curabile curat,
Non magis esse velim me, quam qui candida rodit
Principis ad mensas abrosis carnibus ossa.
Sed quicunque velit nullos offendere visus,
Quam decalvato non vellet in osse morari,
Tam detestetur digitis haurire, quod apte
Confecit riguo collectum Simulus horto.
Sed neque pane, licet dignissimus ille ciborum,
Hauriat hac sola factos ratione liquores,
Ut jungantur eis, quorum ratione parantur.

V. 178. Lub. *aut non.* — *offam.* Goth. *escam.* — V. 179. *illud.* Goth. *aliud.* — V. 185. Lub. *sumis.* — V. 191. *si vel.* Lub. *tibi si.* — V. 193. *non quasi sponte satisfac.* Lub. *ne sponte fatiscat.* — V. 197. *erat.* Lub. *erit.* — V. 198. *esse necesse.* Goth. *aut neccesse.* — V. 202. *incidit.* Lub. *insidit.* Recte Eichstadius conjecit *incidit.* — V. 203. Goth. *allatos.* — V. 211. *festas.* Lub. *vescas.* — *clam.* Goth. *jam.* — V. 213. Goth. *acrimine.* — V. 218. *abrosis.* Lub. *ambesis.* — V. 219. *offendere visus.* Goth. *effundere risus.* — V. 221. Lub. *detestatur* — *aptus.*

Hic jam, ne turpes generet xerophagia ructus,
Bacche veni, veniasque, liquor sanctissime, rorem
Impertire tuum; sine te nec gratia mensis,
Nec pretium dapibus, sed decurtata voluptas
Et facies tristis et nubila cellula mentis.
Bacche veni, deus alme, veni: quid carcere tardas?
Linque scyphos, perfunde cibos, illabere venis,
Atque duplex operare bonum: nam colluis escas
Cordaque maestitia discussa nube serenas.
Bacche veni, cos ingenii, lumen faciei,
Sol animi, cornu Codri, lenitor acerbi,
Proscriptor maesti, venator amoris, amator
Laetitiae, derisor opum, contemtor honorum,
Aequator rerum, dulcis mixtura bonorum,
Mite refrigerium, bona dos, pincerna jocorum,
Lingua poetarum, pugilum pugil, aurea de quo
Mortua conqueritur, quod te non viderit, aetas
Inque dies nostros vellet dilata fuisse,
Ne dici magni potuisset muneris expers;
Inproperatque Noae, quod non surrexerit in se,
Unde datum nomen esset sibi filius auri.
Annuit, et rutilo saliit lascivus in auro
Najade limpidior, musto fragrantior, ipso
Quo pausat lecto selectior. Advolat ergo
Vernarum casu quicunque paratior unus
Porrecturus hero pateram, qua vina resultant,
Huic tu, si sapias, celeri praeveneris aptus
Obsequio calicemque prius, quam sumserit ipse,
Sustuleris: nunquam nocuit servire paratis.
Quando mercedem probitatis perdidit unquam
Officiosa manus nec fructum messuit, ex quo
Principibus placuisse viris et provida novit
Et studuit prompta? Sed quid, cum pocula sumpta
Libat herus? Perstabis edens sicut prius? Absit.
Servitium non est vitium, sed digna potestas.
Unde scio, quod servitio relevatur egestas.
Summis namque tibi digitis mantile levandum
Inque sinum domini cuncta ratione trahendum,
Scilicet, ut natus venerabilis ille voceris,
Qui nudata mero, quod sumpserat amplius aequo,
Posteriora patris obduxit tegmine vestis;
Ipseque commonitus potum castiget, et ausus
Ultra quam liceat tibi corripiatur hiatus.
Nec fer, ut a longe post pocula sumpta Lyaei
Dimissura scyphum manus extendatur herilis;
Impiger utrisque palmis succurre, viamque
Plus mediam conscinde sibi. Bibiturus abinde

V. 226. Lub. *rictus.* — V. 227. *sanctissime.* Lub. *lenissime.* — V. 228. *gratia.* Goth. *gloria.* — V. 229. *decurtata.* Lub. *deturpata.* — V. 232. *linque scyphos.* Lub. *inque scyphos.* Jacobus *atque scyphis.* Eichstad. *tingue scyphos.* — V. 236. *Codri* i. e. *pauperis.* cf. Juven. Sat. III. 203. — V. 249. Lub. *ipso, quo pausat lecto. Selectior.* Jacobus ita interpretatur: „Increpanti aetati aureae Noa annuit, vinoque, quo lecto pausat, sibi indulget", et poema hoc loco truncatum existimat. Sed errasse videtur. Verba, interpunctione mutata, hunc habent sensum: Annuit sc. Bacchus. *ipso quo pausat lecto* i. e. poculo aureo. — V. 252. *celeri.* Lub. *sceleri.* — V. 260 et 261 absunt a codice Goth. — V. 263. *trahendum.* Lub. *tenendum.* — V. 264. *ut natus venerabilis.* Lub. *eximius ut filius.* — V. 266. *obduxit.* Goth. *obtexit.* — V. 267. *castiget, et ausus.* Goth. *castiga. At in haustu.* — V. 268. *tibi corripiatur.* Lub. *nisi castigetur.* — V. 269. *longe.* Jac. conjicit *longo.* — V. 271. Lub. *occurre.* — V. 272. *conscinde.* Lub. *conscisse.*

Indulgere gulae noli nec viribus haustum
Commetire tuis. Fas est iterata queratur
Non plene satiata sitis modicumque caminis
Norit adhuc superesse suis, quod si licuisset
Exstingui poterat. Sed sic reverentia cogit
Constringitque pudor, propter quem saepe recedit
Utilitas claudoque trahit vestigia gressu.

Quis nescit, quod summa prius detergere labra
Mos habet et ratio persuadet et exigit usus?
Notus honor talis urbanis coetibus: et si
Villanis differre velis et scire videri
Quod non quisque sciat, micam potare paranti
Praemittas ori, cujus res officiumque
Hoc erit, ut lentis in limine trita palati
Dentibus exsiccet oris mundetque penates
Efficiatque dei gratis adventibus aptos.
Nunc tibi Pirithoum, Theseu, jungemus et aequo
Os ori, mentem menti nectemus amore.
Cum similis simili convescitur, esca saporem
Libertate capit; longe dulcissima, quae nec
Majestate premit nec pondera librat honoris,
Cum modo colloquium, modo colloquii comes audet
Misceri risus, et in ejus foedera transit
Res mirata, jocus, vernantibus apta diebus.
Sed cum praeceptis ferme nitatur eisdem
Iste priorque modus (quis enim subjectus amico
Non velit esse suo, dando devotus honorem?).
Non refert verba super hoc extendere puncto,
Praesertim cum nemo sciens, quidnam sit amicus,
Nesciat, obsequio quali retinentur amici.
Pauca tamen, forsan paucis incognita, dicam,
Comprendens brevius aequalis foedera mensae.
In mensa domini vox est solius et ejus,
Quem sibi constituit disci pateraeque sodalem;
Si tamen es socius mensae, potes esse loquendi,
Sed modice, licitumque tibi tecumque sedenti
Verborum conferre vices: at nulla susurris
Esse loquenda scias: igitur quodcunque loquaris,
Propatulum fuerit: suspectos esse susurros
Hoc cogit: quoniam meditantur furta susurris
Conflanturque doli fraudesque feruntur in unum,
Et conspirantur dandae per vulnera mortes.
Baccho stante prior attollere pocula mensis
Non sit cur dubites, sed praegustare Lyaeum
Non sit cur cupias, nisi voce jubente sodalis,
Ipse tibi potando prior, sed in accipiendo
Posterior, jure quamvis praecessor haberis,
Quando ministeria fuerint expleta, sequutor.
Quod si lege loci sic sederis, ut tibi longe,
Non longe a socio Bacchi praesentia distet,
Non eris expressa crateris voce petitor,

V. 274. Lub. *commetire tuis fas est. Iterata queretur.* — V. 278. Goth. *astringitque.* — V. 285. Goth. *permittas.* — V. 286. Lub. *haec.* — V. 295. *transit.* Lub. *semper.* — V. 296. *mirata.* Lub. *jurata.* — V. 297. *nitatur.* Goth. *jungatur.* — V. 299. *velit.* Lub. *volt.* — V. 301. *quidnam.* Goth. *quisnam.* — V. 312. *meditantur.* Lub. *jurantur.* — V. 313. *feruntur.* Goth. *sequuntur.* — V. 319. *jure quamvis.* Lub. *quamvis in re.* — *praecessor.* Goth. *possessor.*

Quem tunc ordo dari, tibi cum nequeas dare, mandat.
Sed sicut milvi circa prosecta volatus,
Sic tua periphrasi fiat mandatio, quod non
Praecipiti vox importet subitanea verbo,
Sed tegat affatus modicum nubecula votum.
Forma sit haec: Laudare potes sub fluctibus altis
Pinnatos pisces multumque vocare beatos.
Dixeris hoc, socius si qua ratione exquiret,
Infer: Habent etenim, quoties sitis exigit, undas
Et sua placare possunt incendia pransi.
Aut aliter: quodvis animo praeconcipe festum
Et quantis ab eo distet perquire diebus.
Hoc ubi responso cognoscis, protinus infer,
In quo stat, stabit, perstabit et amplius ipso,
Huc nisi porrectus veniet nos visere Bacchus.
Haec te sub quadam sermonis veste loquentem
Quis dubitet pateram distantem poscere? Quod tunc
Obsequium veniet in te ridentis amici,
Forsitan ex illo succrescet origo jocandi;
Scilicet ut Libycus dicaris protinus Ammon,
Qui cithara voces nec aperta dantia votum
Verba seras, Phariusque nihil distabit Anubis.
Et tunc quando bibis, nequaquam respice circum.
Nulla tamen, nisi cum vacuo pausaverit ore,
Pocula praebebis; etenim tibi praebita sumes.
Nec tamen invades, donec quod adhuc teris ore,
Trajicias ventri. Nunquam debere repelli
Quicquid praebetur mensas generale per omnes,
Ne contemptorem contemptus culpa sequatur.
Ista tamen multas submersit Scylla carinas
Simplicitate viam plus quam ratione sequentes.

Nec tu per blanda disci commercia turpi
Curre latrocinio nec segmata macra sodali
Apponas, ea dans tibi quae dulcore palatum
Conciliant meritumque sibi candore lucrantur.
Sed potius ne quid exuberet imparitatis,
Sint socii potiora jube; tua nolit haberi
Ambitiosa fames nec se respectibus aptet.
Regna tenet gustus, ferclorum kyrios, ad plus
Lata tribus digitis; et nos, sapientia, tantis
Ardemus studiis, quibus ob tam pauperis unum
Imperium regis argentum, corpus, amicus
Perditur, obruitur, offenditur? Exeat illud
Morsellus regnum fiatque quod unus et alter
Nec vincat solidis tribus emptum, quod stipe venit.

Supremum, comedens cujus in foedera transis,

V. 324. Lub. interpungit *dari tibi, cum.* — V. 325. *prosecta.* Goth. *prospecta.* — V. 328. *affatus.* Lub. *affinis.* — *votum.* Lub. *voto.* — V. 330. *pinnatos.* Lub. *primates.* — *multumque.* Goth. *utcunque.* — V. 331. *exquiret.* Lub. *requirit.* — V. 333. *Marquardt* conjicit: *Suaviter et possunt placare incendia pransi.* — V. 335. *distet perquire.* Lub. *distat scitare.* — V. 336. *protinus.* Lub. *eo tenus.* — V. 338. *huc.* Lub. *nec.* — V. 341. *in te ridentis amici.* Lub. *veniat ridenter; amicis.* — V. 357. *dans.* Lub. *des.* — V. 358. *meritumque sibi candore.* Lub. *meritoque sui dulcore.* — V. 359. *sed potius ne.* Lub. *quin potius, si quid exuberet, imp.* — V. 360. Lub. *segmata sint socii jubeas.* — V. 361. *nec.* Lub. *ut.* — V. 363. Jacobus conj. *et, proh sapientia.* — V. 367. Verba corrupta videntur. *Morsellus regnum.* Glossa explicat: *ciborum gustus.* — V. 370. *studenti pagina.* Gl. expl.: *pulchra intuenti pictura.*

Nympha subit, lampas animi, formosa studenti
Pagina naturae, lux et decus addita mensae.
Huic junctus quid agas caveasve videre memento.
Sed venit haec animis ultro sapientia, cujus
Dictator lascivus amor, quapropter et ipse
Verba premam; quivis suus est hac arte magister,
Nil doctoris egens. Quis enim, qui novit amorem,
Munera non novit teneris praestanda puellis?
Ne truncata tamen coeptae descriptio mensae
Deroget auctori, libet hic non sistere, verum
Principio finem, capiti subjungere caudam.
Virgineo lateri, quantum reverentia praestat,
Esse potes salvo vicinus honore, tamen non
Esto premendo gravis, et quamvis apta sedebit
Digna et sede satis; ipsi praetende querelas,
Non bene, non apte, non ut sit digna sedere.
Tunc quoque pulvillo clunes et crura levabis
Supposito te teste nimis pendentia scamno.
Hic tibi curetur hilari promptoque placere
Obsequio dominaeque pios concire favores.
